



DE

1770, 1 6/

CONTENTIONE
IVRIS CIVILIS ET CANONICI

PROLVSIO II.

QVA

PRAELECTIONES
PER SEMESTRE AESTIVVM

MDCCLXX

HABENDAS

INDICIT

D. CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL.

HELMSTADII

PRODIIT EX TYPOGRAPHEO 'ACADEMICO
VIDVAE SCHNORRIAE




DE
CONTENTIONE
IVRIS CIVILIS ET CANONICI.

PROLVSIO II.

§. XIII.

Decretales promulgatae in usum iudiciorum.

ompilationem tertiam decretalium eo fine pontificali auctoritate a se promulgari edicebat Innocentius III, ut absque dubitationis scrupulo illis uti liceret in iudiciis. Probe notandum est hoc pontificis edictum, prodit enim insignem differentiam iuris decretalium a iure canonum antiquo, et insignem transformationem iudiciorum ecclesiasticorum. Canones antiqui erant decreta conciliorum, quae vel dogmata fidei




ex scriptura sacra determinabant, vel mores et disciplinam ecclesiasticam respiciebant, et regulas viuendi praescribent, quaeque illis comprehendebantur iura, constituebant ius canonicum. Quod vero successit ius decretalium, de litibus et disceptationibus forensibus ordinandis est sollicitum, quare nec immerito canones ab hoc tempore nomen perdiderunt, atque *Iuris* illud assumerunt, priusque nomen substantiuum in adiectiuum *Canonici* commutatum est, monente MASTRICHT *Hist. Iur. Eccl.* §. 259. Ad iudicia si respicimus, in ciuilibus cognoscebant olim episcopi per modum arbitrii, et partes litigantes in concordiam reducere studebant: in crimina autem sic inquirebant, ut ad sacramenti poenitentiae administrationem, peccatorumque reconciliationem omnia referrent, quod dicunt sacramentali ratione circa crimina procedere. Ius decretalium in omnia iuit alia; secundum illud enim causae ciuiles tractantur modo forensi et adhibitis omnibus solennitatibus, criminales autem ad vindictam pecuniariam vel corporalem. De ordinatione vtriusque processus mox plura dicam.

§. XIV.

Scena contentionis magnopere mutabatur.

Apparebat iam omnibus, ius ciuile Romanum in vnum codicem ea arte collectum esse, ut sufficeret decidendis omnis generis litibus, quae in iudicium deducerentur: agnoscebatur idem ad ius suum cuique tribuendum apte esse concinnatum, et luculenter monstrare trames legitimos, per quos iniquitates calumniantium expellerentur. Hinc magnopere mutabatur scena contentionis, quae canonum doctrinae primas deferebat: ius Romanum caput extollebat, et quod paullo ante visum erat e iudiciis ecclesiasticis eliminandum, repente in illis regna-



regnare incipiebat. Qui post excitationes studiorum vniuersitates litteris operam dabant, imprimis sibi commendatam habebant legum peritiam, vix alii eo tempore studiis vacabant quam clerici, iique iuri Iustiniano tantundem vel amplius operae impendebant ac canonibus imbibendis. Scientia non contenti, cupide illud in iudicia introducebant, et ex legum praescripto causas decidebant. Adeo fellebat spes compilatorem decreti, vt ad ius Romanum, cuius auctoritatem eleuare studuerat, tanto acrius in scholis inculceretur, et in tribunalibus sacris non ex solis praescriptis canonum, sed cum strepitu forensis causae agitentur.

§. XV.

Pontifices ipsi iuri Rom. patrocinabantur.

Inter iudicia ecclesiastica antiqua et secularia illa intercedebat differentia, quod in istis ex aequitate et per modum arbitrii quaestiones decidebantur, in his vero secundum formulas iuris, et seruato rigore legum procedebatur. Erant qui dubitarent, vtrum fas esset eundem procedendi modum in iudicia ecclesiastica introducere, et strictum ius in illis sequi, cum canonum disciplinae id parum conueniret. Delegata erat episcopo Paduano cognitio de noui operis nunciatione, et actor postulabar, vt, quicquid post denunciationem factum erat, penitus demoliretur. Dubium videbatur episcopo, vtrum ad hoc procedi posset canonico iudicio, *cum nihil de nunciatione noui operis esset in canonibus definitum.* Consulenti apostolicam sedem rescribebat Lucius III in c. 1, X. de N. O. N. negotium ipsum secundum legum et canonum statuta ne differret terminare, *quia sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adiuuantur.* Dilerta haec est approbatio
A 3 iuris



iuris ciuilibus in iudicia ecclesiastica introducendi, et secundum rigorem eius pronunciandi sententias. Sed iam antiquiora prostant testimonia propensionis pontificum erga ius Romanum. Notari solet in historia iuris, S. Bernhardum circa medium seculi XII exprobrasse Eugenio III pontifici: *Quotidie perspiciunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini*, quod pertinet ad ipsa initia renascentis iurisprudentiae Romanae. Alexander III in suis responsis multoties respicit ad praescripta legum, vid. e. c. *cap. 5 de for. comp. c. 15. de test. et attest. c. 5. de restit. spol. c. 1. de dol. et contum.* et vt summam dicam: quo magis de iudiciis ordinandis solliciti fuerunt pontifices, eo frequentius legum auctoritate usi sunt.

§. XVI.

Innocentius III ordinabat processum ciuilem.


Antecessores iurisperitia vt antecellebat Innocentius III, ita nemo feruentiore studio se accinxit ad statuendum de rebus quae ad regimen vniuersalis ecclesiae pertinere videbantur. Congregabat Ao. 1215 concilium Lateranense magnum, quo sancita sunt potiora disciplinae capita, quibus hodiernum ecclesia regitur, et forma modusque causas instituendi et decidendi ad normam legum ciuilibus praescriptus est. Ferebat hoc temporum conditio, vt constitutionem iudiciorum ecclesiasticorum ad curam suam reuocarent pontifices, et inter praecipua momenta erat, vt ordo iudiciorum curate definiretur. Decretum Conc. Lateran. in e. u. X. *de probat.* hanc in rem ita conceptum est: *Iudex semper adhibeat aut publicam, si potest habere personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter vniuersa iudicii acta conscribant: videlicet citationes, dilaciones, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrum-*

instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, conclusiones, et cetera quae occurrerint. Integer liber secundus Decretalium Gregorii vix alia continet, quam quae ad modum litigandi pertinent, eumque constitutionibus pontificum ita expolitum, ut concinnior atque perfectior sit eo, qui in iure civili descriptus est. Bene monet FLEVRY *Inst. Iur. Eccles. P. 3, c. 6, §. 1*, totum ordinem procedendi, quo hodie in foro utimur, Canonistis deberi, et, si quis eum exacte cognoscere velit, origines eius e decretalibus esse eruendas.

§. XVII.

Idem inuehebat triplicem processum criminalem.

Mancam relicturus fuisset Innocentius constitutionem iudiciorum, nisi etiam processus criminalis rationem habuisset, sunt enim iudicia maleficiorum quoque punientorum causa reperta, nec a poenis infligendis sibi temperavit respublica ecclesiastica. Distinxit Innocentius in Conc. Lateran. relato in *c. 24. X. de accusat.* tria genera processus criminalis, *accusatorium, denunciatorium et inquisitorium*, quorum quilibet habet regulas sibi proprias. Accusatio est criminis ad iudicem competentem legitime facta delatio. Requirit libellum et inscriptionem in crimen, qua accusator se obligat ad rationem, si in probando deficiat. De accusationibus late agit Gratianus in decreto *C. 2, qu. 7 et 8. et porro C. 3. cum seq.* Haulit pleraque ex falsis decretalibus, et imposuit pontificibus ut in decreto tradita, tanquam sacris canonibus pridem probata amplecterentur. Denunciatio est proditio criminis occulti, iudici facta ut ipse ex officio inquirat. Non postulat inscriptionem nec probationem criminis, et magis est via ad inquirendum, quam peculiaris procedendi modus. Inquisitio est inuestigatio criminis, sine accusatore



tore et denunciatore, ob solum clamorem publicum a iudice suscepta. Hic modus procedendi, ab Innocentio demum introductus, in se erat irregularis, quod nemo sine accusatore condemnari poterat, erat quoque subsidiarius, non nisi deficiente accusatore adhibendus, sed vsu forenli factus est ordinarius, et accusatione longe frequentior.

§. XVIII.

Honorius III vetabat ius ciuile Parisiis doceri.

Post tot specimina in vsum iudiciorum a pontificibus recepti iuris ciuilibus, non potest non inexpectatum accidere, quod Honorius III illud vilipendendum propinavit, et ne Parisiis doceretur prohibuit. Dicit in *e. 28. X. de priuileg.* sanctam ecclesiam legum secularium non respuere famulatum, quae aequitatis et iustitiae vestigia imitantur, et caussatus quod in Francia et nonnullis prouinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non vterentur, firmiter interdicit et districtius inhihet, ne Parisiis, vel ciuitatibus seu aliis locis vicinis quisquam docere vel audire ius ciuile praesumat. Teste *corvin. de benef. Eccles. L 3, tit. 7, §. 11*, asperitas illa Honorii adeo offendit Goffredum Beneuentanum, iuris pontificii interpretem, vt Honorium accusaret ignorantiae iuris, et non aliter fecisse diceret ac vulpem, quae cum uuas vitis cuiusdam procerae decerpere diu frustra esset conata, tandem eas contempsit ac damnauit, quod sibi viderentur acerbiores. An recte? viderint alii, ego aliam causam subfuisse suspicor, ex dictis §. IV. repetendam. Gauissi pridem erant ecclesiastici in Gallia vicinisque prouinciis ampliore iurisdictione quam in aliis regionibus: imperebant eam seculo XIII Barones Galliae, per ius Iustinianum edocti potestatem iudiciariam esse ius maiestaticum. Prae-



Praesidium hoc baronibus erepturus Honorius monebat, laicos in Francia Romanorum Imp. legibus non uti, et ne uti assuescerent, Parisiis ius civile doceri vetabat, sperans hanc ratione futurum, ut moribus antiquis vivere pergerent.

§. XIX.

Administri iurisdictionis novorum tribunalium.

Per ordinem iudiciorum e iure civili desumptum, irruerant in iudicia ecclesiastica formalitates, strepitus forensis, et modus procedendi ab antiquo valde diuersus. Erant itaque haec quasi noua tribunalia, episcopis concessa, de quibus statuere ipsis esset integrum. Soliti fuerant episcopi iurisdictionem sibi competentem delegare archidiaconis, quorum proinde potestas erat vicaria, sed ex frequenti delegatione coeperant eam sibi vindicare tanquam propriam et ordinariam. Episcopi de usurpata illa potestate derogaturi, nouis tribunalibus praeficiebant sic dictos Officiales, qui vice episcoporum Iurisdictionem contentiosam, secundum nouam litigandi formam ordinarie quidem exercerent, in exercitio tamen ab episcoporum nutu et arbitrio dependerent. Processus formularius ex iure civili adoptatus, inuexit in tribunalia ecclesiastica ministros fori ciuilibis, aduocatos, procuratores, notarios, apparitores, quorum omnium munus et officium si quis nosse cupit, nec non regulas quas obseruare debent, eam notitiam ex iure ciuili haurire debet. Patet ex hactenus dictis, postquam decretales in usum iudiciorum promulgari coeperant, ius civile ita contendisse cum canonico, ut forum ecclesiasticum ad normam ciuilibis regeretur, et causae ad praescriptum non tantum canonum, sed et legum instruerentur ac deciderentur. ESPEN P. 3. tit. 6, c. 1.

B

§. XX.





§. XX.

Diuisio causarum in ecclesiasticas et seculares.

Gratiora, credo, publice futura sperauit Innocentius iudicia ecclesiastica, si formalitates iuris ciuilibus in ea reciperentur, sed sunt qui contrarium euenisse, et causas laicorum ad secularia potius tribunalia deuolutas esse statuunt, postquam iudicia ecclesiastica ad normam iudiciorum ciuiliu institui coeperant. Forte non tam modus procedendi mouit laicos, quam quod perspicerent potestatem iudiciariam ad iura imperii ciuilibus pertinere, indeque extimularentur ad extorquendum diuisionem iudiciorum in ecclesiastica et secularia. Ex diuisione iudiciorum per se consequeretur, ut etiam diuiderentur causae in alterutro iudicio ventilandae, et fori competentia extra controuersiam poneretur. In toto hoc negotio ita versatos esse, ut disciplinam iuris Romani imitarentur, non vana habenda est opinatio. Ex instituto Romanorum duo erant curationum publicarum genera, vnum eorum qui res sacras et diuinas tractarent, alterum eorum qui res humanas curarent. Sacra commendata erant pontificibus, eorumque munus erat de omnibus causis ad sacra pertinentibus iudicare, sacerdotes omnes in officio continere, de cultu deorum et religione instar sacri iuris interpretum et doctorum respondere. Res humanas curabant magistratus varii generis, eosque inter eminebant qui iuri dicundo, hoc est priuatarum controuersiarum cognitioni praeerant. Cum ita praeuissent Romani, ut rerum diuinarum atque humanarum distinctae essent curationes, non omnium iurisdictione spoliandi videbantur ecclesiastici, sed tamen certis cancellis includendi, ut etiam seculares magistratus haberent quod agerent, et res huma-
nas



nas curarent. Diuisio causarum in ecclesiasticas et seculares vtrinque continebat et civiles causas et criminales.

§. XXI.

Syllabus causarum ecclesiasticarum.

In regundis finibus id euicerunt ecclesiastici, vt tribunali- bus sacris reseruantur tum causae clericorum, tum causae mere ecclesiasticae, quas spirituales appellare libuit, nec impugnabant seculares earum reseruationem, quia congruebat cum iure Romano. Spirituali- bus causis annumeratae sunt, quae spirituali annexae sunt, connexa enim iudicari dicit CORVIN. *de benef. L 5, tit. 9. §. 52*, sicut ea quibus connectuntur, eandemque ex connexionem et cohaesione assumere naturam. Sic de iure patronatus edicitur in *c. 3 X. de iudic.* quod causa iuris patronatus ita coniuncta sit et connexa spirituali- bus causis, vt non nisi ecclesiastico iudicio valeat defini- ri. Plures eiusmodi deinceps addam. Denique contem- dunt, aliquando causas, quae ex natura sua sunt tem- porales, per accidens fieri ecclesiasticas, tuncque ad forum ecclesiasticum trahi quoque posse. Vocantur pro- inde causae mixti fori, eoque v. c. referunt contractus qui- bus iuramentum accessit, testamenta quibus legata ad- pias causas inserta, causae beneficiariae quatenus de pos- sessione quaeritur, et delicta varia vid. ENGEL *in Colleg. Iur. Can. ad tit. de foro comp. P. 2, §. 2.* Relatis sic ge- neribus ecclesiasticarum causarum, consequens esse vi- detur, vt de praecipuis earum speciebus explicatius ad- huc agam.



§. XXII.

Causae personales clericorum.

Causae civiles clericorum eatenus per *Conc. Chalced.* can. 9. subiiciebantur iudiciis episcoporum, vt, si quis clericus cum clerico negotium haberet, ad secularia iudicia non excurreret, sed causam prius apud proprium episcopum ageret. Iustinianus in *Nov. 83.* iubebat etiam laicos, qui causam pecuniariam aduersus clericum haberent, prius interpellare episcopum, sub quo constitutus esset. Priuilegium hoc deinceps successiue magis confirmatum, et ab Innocentio III adeo roboratum est, vt negaret clericum ei posse renunciare, cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice indultum, cui priuatorum pacto derogari non potest, c. 12. X. de for. comp. Quod ad delicta attinet, distinguebatur olim inter delicta ecclesiastica, quae contra disciplinam ecclesiasticam, et communia, quae contra leges politicas committerentur. Illa vindicabat episcopus, haec iudex secularis. Per spurias decretales aliasque constitutiones, relatas a Gratiano C. u. qu. 1. crimina clericorum indistincte laicorum iurisdictioni subtrahata sunt, et generalis illa exemptio transit in ius decretalium, et instar iuris communis obtinuit. Quibus modis exemptio illa clericorum tam in ciuilibus quam criminalibus recentiori aeuo imminuta sit, non persequar, quia id tantum ago, vt causas ecclesiasticas secundum placita iuris canonici perenseam.



§. XXIII.

Causae spirituales.

Quaenam causae ob qualitatem spiritualem foro ecclesiastico vindicentur, ex illis rectissime colligi arbitror, quae de rerum diuisione a Canonistis praecipuntur. Definiuntur res spirituales quod sint eae, quae spiritui deseruiunt, atque animae causa sunt institutae. Subdiuiduntur quod quaedam sint incorporales, quaedam vero corporales. Incorporales sunt quae sensu corporeo percipi nequeunt, quales sunt virtutes et dona Dei, aut quae in iure consistunt. Corporales sunt quae tangi, et humanis sensibus percipi possunt. Harum quaedam sunt sacramenta, quaedam sacrae sunt et sanctae, quaedam religiosae. Posita hac rerum spiritualium definitione ac diuisione, facile colligimus iurisdictionem episcoporum versari circa cultum diuinum, praedicationes, persolutionem diuini officii et administrationem sacramentorum, tanquam res spirituales: circa aedes sacras, altaria, sanctorum reliquias, vasa et ornamenta ad cultum externum comparata, tanquam res sacras et sanctas: circa sepulturas, coemeteria, xenodochia, nofocomia, hospitalia *et.* tanquam res religiosas, de quibus exstat *tit. X de relig. domib. vt episc. sint subiectae.*

§. XXIV.

Speciatim matrimoniales.

Causae matrimoniales, inquit PICHLER *in Censidat. iur. abbrev. pr. lib. IV*, licet laicis fere sint propriae ad iudicem tamen et ad forum ecclesiasticum priuatue pertinent, tam externum quam internum, quia matrimoni-



um inter Christianos est a Christo eleuatum ad rationem sacramenti. Probabiliter hoc factum esse dicit §. 22. per illa verba *Matth. XIX, 6, quod Deus coniunxit, homo non separet*, nimirum propter significationem coniunctionis Christi cum ecclesia, quam matrimonium Christianorum significat, ideoque in iure Canonico de eo sub ratione sacramenti agitur. Quo tempore causae seculares separabantur ab ecclesiasticis, non ambigebatur, causas sacramentorum relinquendas esse foro ecclesiastico, et in illorum numero iam erat matrimonium. Pergebant itaque causae matrimoniales non solum ecclesiasticos habere iudices, sed etiam inter sacramentales fere solae sunt ob quas tribunalia sacra adeuntur, quia super validitate vel nullitate reliquorum sacramentorum controversiae ad forum contentiosum deferri non solent. Ex solo autem sacramento matrimonii, tot legibus circumscripto, tot solemnitatibus vestito, ea prodit cognitio-num leges, vt vnum pro omnibus sufficere possit. Quaestionibus enim in iudicio ventilandis inseruiunt sponsalia de praesenti et de futuro, requisita consensus sponsalitiu, impedimenta matrimonii naturalia et legalia, impedientia et dirimentia, cognatio triplex, spiritualis, legalis et carnalis, computatio graduu consanguinitatis et affinitatis, gradus prohibiti, dispensationes, diuortia, et quae sunt alia, tot regulis definita, vt totius libri IV decretalium vnicum sint argumentum.

§. XXV.

Causae spirituali annexae.

Certissimum fundamentum iurisdictionis ecclesiae competentis habebatur spiritualitas rerum, hinc statuebant, foro ecclesiastico vindicandas quoque esse causas, quae

quae versarentur circa res spiritali annexas, licet res ipsae essent temporales. Decimae sunt pars quota fructuum, ministris imprimis ecclesiae, quotannis solvenda, et fructus quidem ipsi qui solvuntur sunt res temporales, sed quia praestantur ob curam animarum et ministerium spirituale, ius decimandi est ius spiritali annexum, et iudex competens in causa decimarum est ecclesiasticus. *c. 25. X. de decim.* Eodem modo beneficia sunt redditus pro ministerio assignati, et consistunt, in rebus temporalibus, sed quia beneficia ecclesiastica conceduntur ob officium sacrum praestandum, praebenda dicitur ius spirituale in *c. 25. X. de praeb.* Similiter quia ad praesentationem, quae fit vi iuris patronatus, accedere debet institutio, quae est actus iurisdictionis spiritalis, ius patronatus dicitur spiritali annexum in *c. 16. X. de iure patron.* et causae iuris patronatus pertinent ad iudicem ecclesiasticum. *SCHRADER de causis fori ecclesiastici cap. 1, tit. 3, §. 7.* Crimina quae laedunt religionem, rei spiritali annexa sunt, hinc de illis cognoscit iudex ecclesiasticus. Exempla eorum sunt haeresis, simonia, schisma, apostasia, magia, blasphemia. Speciatim crimina quibus violantur res et personae sacrae, comprehenduntur sub appellatione sacrilegii, quod proinde committitur si quis clerico vel monacho violentas iniicit manus, vel vitiat personam per votum castitatis Deo dicatam; si polluitur et profanatur sanctitas rerum Deo consecratarum, ut ecclesiarum, altarium, vasorum sacrorum, olei sacri, venerabilis, reliquiarum. Iurisdictioni criminali episcoporum superaddebatur horrendum illud, et christiano nomini propudiosum tribunal inquisitionis.

Adiiciendus adhuc index praelectionum, quibus
PRAESTANTISSIMORVM DOMINORVM
COM-



COMMILITONVM utilitatibus per hoc semestre aestiuum
 consulere cupio. Exposui superiori semestri ILL. G. L.
 BOEHMERI *Principia Iuris Canonici*, et absolui quidem
 tres libros priores, qui reliquus est liber quartus, com-
 plectitur *theoriam processus iudicarij*, cuius interpretatio-
 nem in hoc semestre reuicere necessum habui, in eaque
 sic versabor vt simul ad ordinationes prouinciarum re-
 centiores respiciam. Illustrabo porro binis quotidie ho-
 ris *doctrinam Pandectarum*, ad ductum *Introductionis Boe-
 merianae*, praetereaue *Iuris Naturalis* aut *Feudalis* praec-
 cepta explicare accinctus sum. Ad has igitur praelectio-
 nes VOS, CIVES ACADEMIAE ORNATISSIMI, inuito,
 et vt frequentia VESTRA labores meos subleuetis officio-
 se rogo. Scrib. Helmstadii d. xxvii. Apr.

M D C C L X X.








X-2396279







DE 1770, 1 6,
CONTENTIONE
IVRIS CIVILIS ET CANONICI

PROLVSIO II.

QVA

PRAELECTIONES
PER SEMESTRE AESTIVVM

MDCCLXX

HABENDAS

INDICIT

D. CAROLVS ANTONIVS KEVFFEL.

HELMSTADII

PRODIT EX TYPOGRAPHEO 'ACADEMICO'
VIDVAE SCHNORRIAE

